

13

Theatri rudera pene omnia, ipsaque vetusta Urbis mœnia dirueret, ut locum, materiamq; Castello Constantio pararet. Effossa, inquam, fuit eodem plane loco, quo Anno MDXXX, quum novis mœnibus Urbs a Duce Francisco Maria I. cingeretur, Inscriptiones aliæ, quæ n. XXII. XXVIII. XXXVI. collocantur, erutz sunt inter ingentia columnarum, epistyliorum, aliorumq; ornamentorum fragmenta, quorum plura Hieronymus Arditijs, antiquarum rerum amantissimus, paucos post annos domum suam transferenda curavit, ut ipsemet in iis, quas laudavi, MSS. annotationibus testatur. Superest etiamnum fragmentum Sacrificii, ut ex ariete ad aram stante constat, anaglypho opere insculptum, sed turpiter deformatum fædo usui inservit.

*Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.*

Ex quibus omnibus eruditi Viri, qui tunc diligenti inspectione omnia pervestigarunt, arcum ibi triumphalem Aureliano a Republica Pisaurensi erectum fuisse pronunciarunt, ad cujus latera bases cum hac Inscriptione, & aliâ n. XXII. ornamentis gratiâ statutas, in fastigio vero equestrem Aureliani Statuam ex ære stetisse: idq; in omnibus Pisaurensium rerum Scriptoribus celebre est, & vulgatum. Sed, ut ingenue dicam quod sentio, tam certum puto ibi aliquem arcum fuisse, tum quia doctis, & ocularis testibus fidem penitus abrogare nefas ducerem, tum etiam quia ex iis, quæ supersunt adhuc, fragmentis manifeste id evincitur: quam incertum, imo falsum, arcum illum Aureliano fuisse excitatum; non modo enim nullam hujus sententiæ satis probabilem rationem afferunt memorati Scriptores, verum etiam elegantioris operis sunt fragmenta, quæ vidi, quam quæ Aureliani ævo convenient. Præterea fragmentum Inscriptionis n. XXVI., quod in fronte Arcus olim stetisse putaverim, prægrandibus literis, optimo charactere insculptum, Aurelianum satis, superq; excludit. Neque dux hæc bases Aureliano dicatæ, ullam citatæ sententiæ opem ferunt; Certissimum est enim, eas a veteri loco, in eum, in quo repertæ sunt, tumultuario opere asportatas fuisse, quum muro infixas, & cum dissimilibus rebus conglutinatas detexerint fossores: ex quo tempus quoque cognoscere datum est, quo id accidit, nempe quum Belisarius devastata a Wittige Pisauri mœnia, reparari volens, jussit Sabiniano, & Thorimunto Protectoribus suis ut *murorum ruinas omnes, quomodocunque possent, restaurarent, injectis lapidibus, lu-*

so,